



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

XIV. Peccata Mortalia Tribunalis iudiciarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

320 *Moralis Theologiae Tract. II. Peccata,*
 ad Resurrectionem, ob Solis beneficium; aut lanificum adhi-
 bendo pro nautea. *Faber ferrarius* claves efficiendo iis, quos
 suspicatur, ad opus iniquum abufuros; aut rubra terra ad
 operiendum, ne rupturæ vasis appareant. *Spatharius* vendendo
 enses fractos, periculo quidem emptoris, dum oborta pug-
 nandi occasione, in partes diuiditur. *Calceus & veterinarius.*
 Soleas ferreas etiam fractas figendo; aut festos dies sine eri-
 gente bestia itinere violando grauius. *Sutor* soleas grossas
 findendo: corium combustum pro forti dando; festos dies
 sine causa grauius transgrediendo. *Custos ostij* cuius in per-
 mittendo, merces prohibitas asportari, iuramento quidem
 fidelitatis violato. *Caupo* hircinas carnes pro arietinis tra-
 dendo; aut vinum nouum pro vetere, seu aqua immixtum
 dando; aut consultò famulas lasciuas habendo in hospitium
 impudicitiam; vel ludos prohibitos permittendo; vel la-
 trones fouendo, vel scienter ebrietate afficiendo vinum pro-
 pinando. *Cetarius* pisces siccos aspergendo, vt pondus adda-
 tur; aut sale rursus pisces madefactos condiendo in alteram
 hebdomadam; aut recentia aquatilia potiora diuitibus ac-
 commodando, pauperi inutilibus ferè fragmentis reseruatis,
 quæ eodem pretio accipiunt. *Galerorum artifex* vendendo
 galeros ambustos, aut veteres rursus intinctos pro sanis, &
 nouis. *Lanificus* pannum perdendo, dum nimium radit, aut
 citius finem operi imponit; aut non tot cardis addicit versio-
 nibus, quot opus exigit; aut battuario pannum tradendo
 minus battuandum, quam oportet; aut gummam adiciendo
 pro sapone; aut ex saponis portione detrahendo; vnde panno
 graue nocumentum obueniatur. Hinc reliquos artifices grauiora
 crimina poteris edocere.

CAPVT XIV.

De Peccatis mortalibus Tribunalis iudicarij.

§. I. 53. **I**udicum denique, qui reliquorum delicta puniunt, grauiora
Iudicis crimina recensenda. *Praxis.* Quando nam Iudex mortaliter delin-
 quit? Cognoscens iustitiam vnius manifestam esse recte
 fieri curauit ab illo, vt alterum damnare non cogerer: ini-
 què iudicauit seu quæstus, seu amicitia, seu propinquitatis
 prætenu: sine iurisdictione causam vocauit ad tribunal: ini-
 iuste

Examen III. De Peccatis Mortalib. cunctis. 321

iniuste pœnam corpoream cum pecuniaria commutavi: temere haud perfectis iudicij actionibus iudicare non reui: sine causa cum graui incommodo litigatoris sententiam protraxi: verba contra litigatores iniuriosa protuli: muneri incubui litium ac legum ignarus, nec doctos adiuui consulendos: quia curam studio litis non adhibui, oleum & operam perdidit litigator: iniquo ductus affectu iudicavi, graui incommodo oborto: secretum graue quidem litigatorum violauit: constitutionem, seu legem contra iuramentum graui in materia transgressus sum: tempus informationi necessarium non permisi ante sententiæ prolationem: relationem litis audiens, dum mente diuagarer, non curavi supplere defectum, *Cum* ~~ne~~ litigatori ob meæ defectum attentionis graue nocumentum inferretur: distuli rei comprehensionem, vnde graue incommodum: comprehendendum monui, vt fugam arriperet: permisi vincos ære pressos alieno solui sine approbatione creditorum, vnde solutio debiti seu differtur, seu impeditur: reum ab Ecclesia contra eius immunitatem extraxi, aut postquam reclusi, ad actiones iudicij processu, prius quam Ordinarius declararet, num Ecclesiæ frui deberet immunitate: sine iure confessionem à reo, actu quidem iniquo, exquisiui; vel complices aperiri curavi, quando iura repugnant: scribam indoctum feci confessioni exquirendæ incumbere, quam ipse exquirere debueram: Pontificis Bullis non obediui: interdium violauit: contra iuris præscriptum admisi appellationem: aliquem vixi non præmissa summaria probatione; seu etiam informatione summaria præcedente, id est vnus testis depositione processu ad vincula, vnde infamia obortura esset, scilicet in casu hæresis, Sodomix, &c. Torturam iniuste imperavi: vel durius torqueri passus sum reum, quam ratio, & ius exigebant *toties*.

§. 2. *Auditorum præterea innue lethalia crimina.* Violauit re in graui iuramentum de munere rectè obeundo: arcanum *Auditoris.* Senatus non custodiui, vnde Senatores non liberè mentem aperiant: magna munera à litigatoribus accepi: causis me ingressi Ecclesiasticis contra Bullam Cœnæ excomm. 14. Ecclesiasticis iudicibus aliquid imperavi, quod rogationis more proferre debueram: non audito Relatore, postea causam non perlegi, aut lectam quidem, litem protraxi, graui litigatorum incommodo: permisi famulos cibos præcipuos emere, vt maiori postea pretio venderent, non sine pauperum iniuria, siquidem vis puerumque *in* *fer* *tur*: lites Relatoribus acquitate seruata non tradidi, iuxta constitutiones; sed speciali affectu

infertur

affectu acceptavi personas: præses cum essem gymnasiij non imperavi lites servato ordine discuti, sed inuerti, graui litigantium iniuria: victos sine iustitia, & satisfactione solui, ut pius, ac liberalis haberet: ministros ad eum protexi, ut illi hoc munimine insolenter se gererent: violenter sum usus alicuius famulatu, quem mercedis loco ad commissiones immisi, aut sine necessitate custodem effeci, aut aliquod publicum ministerium iniunxi: Bullas Apostolicas extra casus expressos impediui: Epistolas commendatitias meis litigatoribus contra alios accommodaui, violans *legem 25. tit. 4. lib. 2. Recop.*

§. 3. *Prætoris ariminis.* 55. *De criminis Prætoris quid?* Re in graui aut iuramentum emissum, aut Senatus violauit secretum: processum ab Ordinario iudice abstraxi, prius quam competentia discuteretur appellacionem articuli admissi, seu interlinealis sententiæ, quæ diffinitiuæ vim non habet: iudicem, qui de officio processit ad me redditurum rationem aduocaui: per me testes non vocaui ad examen; nec victos inuisi, vnde illis grauis molestia exorta: aliquem torturæ addixi, non præmissa sententiæ, & eius notificatione; seu exemptum torqueri imperaui: victum iussi eum, qui per procuratorem poterat respondere, graui ob id aut infamia, aut scandalo oborto: relatores culpabiliter non audiui, vnde necessum fuit processum ad meam domum cum magna litis suspensione deferri: munera accepi à litigatore contra *l. 56. tit. 5. lib. 2. Recop.* Ut familiares aut famulos meos alere possem, commissionem eis mercede iniusta permisi: victum ab Ecclesia abstraxi sine causa: processusque ad probationem, prius quam ab Ordinario decerneretur, num Ecclesiæ frui deberet libertate *toties.*

§. 4. *Fiscalis.* 56. *Fiscalis quidnam?* Iuramentum in materia graui transgressus sum: causas vindicta aut contentione persecutus sum, graui incommodo oborto: illicitis mediis usus sum ad causarum exaggerationem: ex amicitia causam, quam debebam, omisi; vel quam non debebam, accepi: singulis hebdomadibus simul cum Præside & Prætoribus non perlegi catalogum damnatorum ad triremes, ut eorum causæ concluderentur, ob id graui incommodo reis obuenire viso: haud literas ^{exegen} ~~videre~~ curavi, vnde causa excidit efficaciam: cognoscens literas Apostolicas non esse contra Regalem patronatum curari retineri: munera, aut subornationem accepi contra *l. 56. tit. 5. lib. 2. Recop.* Aliquid contra Ecclesiasticam petij libertatem *toties.*

§. 5. *Aduocatus.* 57. *Quonammodo Aduocatus mortaliter peccet?* Litigatos seduxi, affirmans iustitiam esse manifestam, cum aut non aderat.

aderat, aut dubia erat: defendi litem iniustam, seu minus probabilem, quando minimè poteram, & debebã de minori probabilitate consulentem admonere: ob studij defectum falsò de probabilitate causę iudicavi, quam improbabilem omnino post studium reiicerem: induxi partem ad pactum, cum nulla iustitia inniti cognoscerem, & nihil ab altero posse exigi nisi parum aliquid, quod gratis fortasse daretur in vexationis redemptionem: plures causas, quàm discutere poteram, suscepi, vnde lites notabiliter suspensę fuere graui litigantium incommodo: accepta iusta mercede aliquid vltius exegi scribenti ministro contra iustitiam, seu litigatorem cõegi, vt informationem ex iure ille scriberet, quam alius minori pretio exararet: permisi culpabiliter informationes contrarię parti dari: mercedem iniustam recepi, dum exaggerarem studij laborem; licet enim contra legem non deliqui nullam certam Aduocato portionem præscribentem, saltem ius naturale violaui: litigatorem meum induxi ad scripturę alicuius subtractionem, quam debebam manifestare, vel ad veritatis abnegationem; vel ad prolongationis termini petitionem sine necessitate, solummodo in litis suspensionem: pactum cum litigatore feci, mihi dandam partem eorum, quę accepturus erat ex litis victoria contra l. 2. tit. 16. lib. 8. Recop. A pauperibus mercedem exegi, cum deputatus essem eorum causis protegendis: iuravi relationes bene compactas esse, quas minimè videram: leges, statuta, & ordinationes ignoravi, vnde graue incommodum litigatori: pauperem ob mercedis defectum deserui, qui à causa iusta sine patrono cecidit: multiplicavi ex quæstus iniusti affectu petitiones: præsentavi falsos testes, aut instrumenta: præuaricationem ini, dum vtrumque defendi litigatorem, aut publicè, aut secretò: arcanum mei litigatoris alteri manifestavi, graui exorto incommodo: suasi contractum vsurarium licitum esse; vel instrumenta huiusmodi dictavi toties.

§. 8. *Quandoam delinquant grauius Relatores?* Ob studij defectum, vel incuriam malè recitavi, seu aliquid substantiale prætermisi: mea occasione litigantium causę suspensę relationes extra domum scribi effeci, vnde contrarius posset perlegere graui alterius incommodo: falsò affirmavi instrumentales facultates originales à processu extractas esse, & in eodem transcriptas remanere: partialis fui, plus conatus impendendo in explicandã vnus iustitia, quàm alterius, seu dicendi modo, seu de vno loquendo, quando iudices confabulabantur; de altero, quando intentis animis aderant: sententiam

rentiam meo litigatori manifestavi, prius quam euulgaretur; unde posset iudicem reuocare, aut pactum contra alterum iniire: munera accepi etiam comestibilia, mercedis loco minime donata: mercedem pro labore nimiam exegi contra *l. 19. tit. 17. lib. 2. Recop.* Accepta iusta mercede, rursus accepi contra *l. 24. tit. 17. lib. 2. Recop.* Foliorum ^{lines} regularum imminui, futuram planè triginta tres uniuscuiusque paginae *toties.*

§. 7. *Secretarij.*
linearum
59. *De Secretariis quid adiciendum:* Iuramentum factum grauius læsi: arcanum violauimus: sententiam nondum euulgatam manifestavi: munera prohibita accepi: plus mercedis exegi, quam debebatur: paginam triginta trium regularum, quarum singulae decem verba, seu partes habere debent, imminui, graui oborta iniustitia: instrumenta originaria processui addidi, cum transcribere deberem: diligenter processus, ac sententias non custodiui, sed litigatoribus sine iudicum prescripto tradidi: negligens grauius fui circa causarum perfectionem, unde illatum nocuum: processus taxatos iam Relatori non commisi, unde ille posset iniuste plus mercedis pro pagina diminuta exigere: transcriptibus non solum, unde à litigatoribus illi rursus exegere: haud frequenter officinae adsum, testes ipse quaesituros: testimonia ad vnguem non transcripsi, graui inuersione, aut exaggeratione, aut diminutione superaddita: mercedem exegi ob processorum custodiam, aut propter inquisitionem contra *l. 17. tit. 20. lib. 2. Recop.* Mercedem exquisiui quando ex *l. 20. 21. 25. & alijs tit. 20. lib. 2. Recop.* non poteram: statuta, & leges, quas callere tenebar, ignorauimus *toties.*

§. 8. *Trebellionis.*
non
60. *Tabellionis praeterea crimina grauiora expendi.* Iuramentum emissum in re graui transgressus sum: sine sufficienti peritia me causis immisi, clausulis communibus scripturarum minime cognitis, & sine literati consilio: scripturas summam accepi, nec postea feci plenam, vt à partibus firmarentur, addidi, aut detraxi aliquid magni ponderis in depositione testium; ministroque transcriptori examinationem commisi erroris periculo: iudici coram tribunali non verè, & sine meditato inuolucro causam manifestavi, graui veritatis lesione culpabiliter non assistens tribunali mercedem exegi, vt processum ad domum iudicis reportarem: diligenter protocolla non custodiui, unde postea grauiora exortantur incommoda: combusta, comminui, abscondi scripturam aliquam utilem alicui, graui incommodo obuiente: vexaui differens causarum cursus, vt pecunia iniuria redimeretur: cum Officiali Praefecti egi informationes, aut vincendi aliquem manata *confixi.*

confinxi, sine iudicis auctoritate: denunciatores confinxi, ut portionem subriperem denunciatoris: iudici recens aduentanti, prauo zelo crimina enunciaui, ut nummos exquirerem, non ut delictis medicinam adhiberem muneris titulo iniustitiae operam nauaui, aut vindictam sumendo, aut illicita perpetrando: praescriptam mei officij taxam grauius laesi: permisi officiales meos solutionem accipere, quando ipse integram iam acceperam: ob Scripturas quaerendas nimium mercedis exquisiui, fingens non comparere, ut maiori pretio illa vexatio redimatur: depositum litis accipiens, non illico suo tempore solui, unde coactus dominus, superfluo sumptui operam dare: pauperes desolatos non iuui, unde perit eorum causa: muneris publici occasione fructus meos maiori pretio quam aequum erat, vendidi; aut accepi minore: extra urbem egrediens alicuius gratia executionis, alia negotia simul expediui, posteaque vniuersi cuiusque diei mercedem duplicatam, aut triplicatam accepi; quando proportione seruata debebam sumptus imminuere: prohibitorum contractuum instrumenta confeci: testamentum alicuius scripsi, qui rationis vsu carebat: testes falsos accepi: vnius damno graui alterius prece aliquod testimonium necessarium non exhibui: solemnitates necessariae ad scripturae valorem ex ignorantia culpabili aut malitia praeterij: necessitate non urgente solemnem diem iudicarij actibus grauius violaui: ex malitia causarum piarum legata non manifestaui *toties.*

61. Quid de Procuratore? Litem iniustam procurauit: de pacto curauit; quando litigator meus a iustitia ceciderat: suscepi *§. 9. Procu-*
plurimum causarum procuracionem, quam utiliter possem: *ra: oris.*
plus mercedis, quam iustum exquisiui: iniuste reum veritatem suam abnegare: curauit pacisci de tanta mercede, si victoriam reportarem contra constitutionem: culpabili mea incuria causa destituta est: ad incuriae correctionem, transactio iam termino, diem inscriptionis immutauit: processum accipiens, debito tempore non reddidi, unde grauis iniuria alteri obuenit litigatori: exhibente pecuniam litigatore ad iura soluenda, retinui quod Aduocato accommodandum accepi contra *l. 7. tit. 24. lib. 2. Recop.* Retinui pecuniam, quam mihi reus Relatori exhibendam dedit, unde Relator rursus mercedem a reo exegit: nomine mei litigatoris iuravi sine speciali facultatis instrumento; aut sine particulari eius informatione in scius, & cum periculo peierandi, iuramentum emisisti: lis periit, quia ipse culpabiliter tribunali non adfuit, futurum incommodum prauidens, aut debendo timere *toties.*

§. 10. *Receptoris.* 62. *De Receptore quidnam?* Ex Cancellaria pluribus negotiis intentus egressus sum integram pro singulis mercedem accipiens: pluribus implicitus negotiis non potui singulis satisfacere, vnde, tempore elapso, litis probatio definitur, seu cogitur litigator nouæ probationi operam, opesque impendere: scripturam multiplicavi sine necessitate, vt questus accresceret; vnde ex relatore & Tabellione sumptus litigatoris increuit: intra viginti dies probationes non tradidi ex culpabili incuria grauis damni occasione: subornatione negotium aliquod acquisiui, quod alteri receptori debebatur: effeci à litigatore alterum receptorem reculari, vt mihi negotium contingeret: scripturas compulsorias extraxi, multiplicato sine necessitate litigatoris sumptu: aliquid momenti ex munere, & non loco mercedis accepit: plus mercedis exegi, quàm est legis præscripto taxatum: inuerti testimoniorum substantialem sensum; aut aliquid addidi, quod alteri grauiter poterat obesse: distinctè non interrogavi, sed confusè, vnde testis non potuit veritatem manifestare: secretum euulgavi ante iudicam publicationem, vnde graue incommodum alteri litigatori causatur *tories.*

§. 11. *Lictoris.* 63. *Quid de Ministro Præfecti adiciendum?* Iuramentum de rectè obeundo munere in graui materia violauit: accipiens mandatum ad alicuius comprehensionem, eum admonuit, vt fugeret. Contra *l. 1. tit. 31 lib. 24. Recop.* Missus taxata mercede ad vnum negotium plura suscepi integris expensis: Ministerij prætextu in hospitibus publicis rerum pretia imminui, coëgi: dissimulaui ob questum lenones, meretrices, carnifices, aliosque liberè aut scortando, aut furando insolecere; nocturna vigilia domos inuasi, altercationibusque simulatis finxi me latrones requirere, vt domestici pretio redimant vexationem: prætextu muneris grauem intuli iniuriam: eos qui executione erant afficiendi, admonui, vt bona celari curarent: meretrices falsò de lenone accusaui ob spem questus; & eam, quæ lenoni addicta erat impunè degere permisi: vitium grauioribus vinculis illigari feci, vt pretio iniustam redimeret vexationem: cum Tabellione pacisci curavi de aliquo innocenti pro questu vexando: pignus iniustè extraxi: auxilium adolescentibus muliercularum domos ingressus præstiti: impunè furaturos custodiaui; mercedem iniustam aut mihi, aut Tabellionibus extraxi: enses iniustè noctu abstuli: coniuges noctu inueniens conclamaui esse concubinos, vt nummis exhibitis dimitterentur: executionis iura
accepti.

Examen III. De Peccatis Mortalib. cunctis. 327

accepi, antequam creditori fieret satis contra præscriptum
17. tit. 12. lib. 4. Recop. Citaturus aliquem, finxi non inuenisse,
& iniuste exegi solutionem toties.

64. Quid de carceris Præside? Mercedis nimium exquisiui, §. 12.
vinctos expilans: nummos accepi ex eo officio, quod gratis Custodis
gerere debebam: gessi quod sine licentia iudicis non pote- carceris.
ram, ut vinctos ob debitum soluerem, dum ex venia illa solu-
tio impediretur: exquisiui à ministris tributum, quod illi ve-
xationibus illatis à vinctis exigunt: vinctos permisi fugere,
falsò probans, quod valida custodia detinerentur: addidi
sine necessitate vincula vinctis, eosque ergastulo addixi, ut
solutio pro nummis commutari valeret: permisi aliquem ibi
fœmina abuti: coëgi vinctos mihi sine mercede famulari:
apud carcerem cauponiam statui, vbi cibi, aut vinum prauum
pretio immoderato venderetur toties.

65. Reus quandonam lethale peccatum committit? Verita- §. 13.
tem abnegavi, delicto semiplenè probato: complices iniuste Rei.
euulgavi, seu contra bonum commune abscondi; Instrumen-
ta mendacia præsentavi; seu aliquid eorum graui oborto in-
commodo immutari feci: dilationibus superfluis vsus sum:
Iudicem, Tabellionem vel Relatorem iniuste recusavi, ut
temporis interstitia acquirerem præcipuè iurans me haud ex
malitia procedere: testes causis mendacibus reprobavi: comp-
lices delictum abnegare suasi, quod debebant aperire, vel ad
huiusmodi iniustitiam induxi toties.

66. Quid denique de Teste? Affirmaui, quod ignorabam, §. 14.
aut dubium pro certo protuli: veritatem, quam operire te- Testis.
nebar, aperui: me abscondi debens respondere, ne rogarer:
Iudici iuste interroganti obedire nolui: sciens propinquum
aliquem aliquid surripuisse, ob propinquitatis gratiam, ferre
nolui testimonium quod alius non potest ferre; nec curavi
saltem proximo ablatum restitui: cum tenebar testimonium
ferre, pretium accepi, ut proferrem veritatem; nec reddidi
acceptum: contra Tridentini præscriptum matrimonio de
præsenti non præmissis monitionibus interfui: de contracti-
bus vsurariis reddidi testimonium: etiam rogatus te-
stimonium non tuli, cum innocentem morti addicendum,
aut ab infamiae, grauisve damni periculo possem liberare
toties.